

magis accedunt ad unitatem, quam materia et quævis forma accidentalis, cum qua solum facit unum per accidens.

Resp. *neg.* conseq. Primam probationem retorqueo in accidentibus eucharisticis, quæ nequeunt existere sine ubicatione, et possunt tamen sine subjecto, quamvis magis ab hoc, quam ab illa perficiantur. Itaque separabilitas vel inseparabilitas non dimetienda est solum ex majori indigentia naturali ad propriam perfectionem habendam, sed insuper respiciendum est, utrum separatio repugnantiam conceptuum implicet. Jam vero nondum probatur repugnantia materiæ divinitus conservatæ sine forma; manifeste autem omnibus videtur repugnare, quod existat res, et tamen nusquam existat (1). Simili modo ex eo, quod nequeat quantitas esse sine aliqua figura, perperam colligeretur nec materiam posse omni forma privari etiam per divinam omnipotentiam.

Altera quoque probatio retorquetur. Nam materia magis accedit ad unitatem cum forma substantiali determinata v. g. hominis, canis etc., quam cum eadem ubicatione; quantitate etc.; et nihilominus facilius separatur per naturalem corruptionem a quavis determinata forma, quam ab ubicatione et quantitate. Principium ergo, quod assumit secunda illa probatio, si sermo sit *de unitate compositionis*, quæ resultat ex plurium distinctorum unione, falsum esse deprehenditur, ac proinde negandum est.

Plura dabunt veteres auctores ac nominatim Suarez et Lossada, apud quem videri etiam potest, utrum actio, qua Deus conservaret materiam sine forma, esset eadem ac actio, qua conservat illam cum forma, prout tenent plerique Nostri cum Suarez (2), an vero diversa.

Duplex materiæ
causalitas.

Ad extremum animo recolenda hic est duplex, eaque diversissima causalitas, quam ut in *Ontologia* docuimus (3), exercet materia; *intrinsicæ* altera, respectu totius compositi, altera *extrinsecæ*, nimirum respectu formæ substantialis. Materia enim ita causat compositum, ut ejusdem sit causa

- (1) Cfr. *Ontolog.* n. 377, pag. 1067.
(2) Disp. 15 *Metaph.* sect. 9, n. 7.
(3) *Ontolog.*, n. 408, pag. 1167.

et principium seu constitutum intrinsicum et substantiale, formam autem ita causat, ut eandem intrinsece non componat, sed solum extrinsecus ad hujus productionem concurrat modo inferius declarando, prout jam in *Ontologia* (1) notatum est, et inferius magis declarabitur, exponendo educationem formæ de potentia materiæ. Unde materia a composito solum distinguitur *adaquate*, cum sit ejusdem pars essentialis; a forma vero *adaquate* distinguitur.

Jam de variis nominibus, quibus materia a veteribus appellata est, loqui necesse non est: eam dita fuit *fundamentum naturæ*, *sylva* et *mater* et *chaos*, de quibus aliisque appellationibus legi potest P. Petrus Fonseca (2). Scilicet fundamentum naturæ vocata est, quia est primum subjectum; *sylva* et *mater*, quia est principium passivum, ex quo formæ omnes materiales educi possunt; *chaos* denique, quia est pura potentia, in qua nulla inest species nec distinctio perfectionis.

Varia materiæ
nomina.

ARTICULUS IV.

Quid et qualis sit forma substantialis.

155. Accedimus jam ad alterum corporis essentielle constitutum declarandum, formam videlicet substantialem, cujus nomen magis adhuc, quam materia prima, stomachum movet atomistis (3). Forma in generalissima acceptione dici potest esse id, quod rem determinat ad certam quandam rationem: et multiplex a Peripateticis distinguitur. Alia enim est *extrinsecæ*, quam etiam *exemplarem* vocant, id est idea seu exemplar alicujus rei faciendæ. Alia dicitur forma *separata* vel *subsistens*, cujusmodi est angelica natura, quæ neque unitur, neque uniri alteri enti potest ad unam conflandam substantiam. Alia demum est forma *informans*,

Quid forma
et quotuplex.

- (1) *Ontolog.* n. 409 et 410, pag. 1168, 1169.
(2) Op. cit. lib. 1, cap. 7, quæst. 3 sect. 9.
(3) «Il semble, inquit Leibnitz, que depuis peu le nom de formes substantielles est devenu infame auprès de certaines gens, et qui' on a honte d'en parler. Cependant il y a encore peut être en cela plus de mode, que de raison». Leibnitz, *Nouv. Essais* etc. liv. 3, chap. 6, paragr. 24.

quæ in subjecto recipitur, illudque actuat, et perficit. Hæc est propria instituti nostri, ac dividitur in *substantialem* et *accidentalem*: illa ad substantiam componendam concurrat, ut v. g. anima rationalis: hæc substantiam jam constitutam accidentaliter afficit, ut v. g. albedo (1). Nos ergo hic formam substantialem explicandam suscipimus. Ea vocata est ab Aristotele aliisque priscis auctoribus *species*, *ratio quidditalis*, *entelechia* (εντελεχεια) atque aliis nominibus, quæ declarata videri possunt apud P. Fonseca (2). *Species* dicitur, vel quia omnis rerum corporearum pulchritudo ab ea existat, vel quia ipsa tribuat gradum specificum corporibus; *ratio quidditalis*, quia ab ea præcipue desumitur rerum naturalium definitio; *entelechia* demum, quasi forma inhærens (ἀπὸ τοῦ εντελεχίας ἔχειν), quemadmodum interpretatur idem Fonseca.

Varia formæ
nomina.

Declaratio
formæ
substantialis per
analogiam.

Ad ejus declarandam naturam, viam nobis sternet artefactorum analogia. Perinde enim se habet in diversis opificis figura respectu materiæ, ex qua suam artifex opus fabricatur, ac forma substantialis in corporeis substantiis. Figura est in operibus artis id, quod speciem imprimit materiæ, illamque constituit in ratione domus, statuæ, horologii: atque ita demum fit, ut ex eadem auri, marmoris vel ligni materia pro diversitate illius accidentalis formæ varia possint existere artefacta. Simili ergo modo forma substantialis est ea realitas, quæ communi illi subjecto, materiæ primæ, instar sigilli impressa, substantiam efficit aquæ, ferri, carbonis reliquorumque corporum specie discrepantium.

Definitio formæ
substantialis.

Quocirca definiiri cum Suarezio potest forma substantialis: «*substantia quædam simplex et incompleta, quæ ut actus materiæ cum ea constituit essentiam substantiæ compositæ*. In qua descriptione substantia ponitur loco generis eo modo, quo a Philosopho distinguitur in materiam, formam et compositum. Et per eam particulam distinguitur hæc forma ab accidentalibus, quæ substantiæ non sunt: distingui etiam potest

(1) Discrimen inter formam substantialem et accidentalem declarat Angelicus Doctor Opuse. *de Ente et Essent.* c. 7, 1. p. q. 77. a. 6, et lib. 2.^o *de Anima*, lect. 1. paragr. d. et alibi. Vide *Ontolog.* n. 309. pag. 894, ubi et in quo conveniant, et in quo discriminentur istæ duæ formæ, ex Cajetano explanavimus.

(2) Op. et loc. cit. Cfr. S. Th. 1.^o *Physic.* lect. 15. paragr. d.

a modis substantialibus, nam licet hi ad prædicamentum substantiæ revocentur, non tamen sunt substantiæ in ea proprietate: unde neque ab Aristotele in ea partitione enumerantur, quia non sunt proprie entitates substantiales, ut est forma, quæ hac ratione substantia dicitur. Additur vero *simplex* et *incompleta*, ut per priorem particulam a composita substantia separetur, per posteriorem vero a substantiis separetis, quæ interdum vocari solent *formæ assistentes*... quæ revera non exercent munus causæ formalis, sed efficientiam aliquam; quare non sunt formæ substantiales, prout nunc de illis loquimur. Reliqua pars definitionis distinguit formam a materia, quæ etiam est substantia simplex et incompleta, tamen ut potentia, forma vero ut primarius actus illius potentiae (1) Et ratio est, quia sicut differentia specifica in ordine abstracto et metaphysico cognitionum nostrarum genericas et universaliorens entis perfectiones restringit, definit, ac intra limites certæ cujusdam naturæ concludit; ita etiam forma in linea realitatis concretæ et physicæ potentialem et ad diversas species constituendas indifferentem materiæ entitatem, ad unam illarum præ aliis actuat, determinat, et circumscribit.

Hinc intelliges illas alias descriptiones, secundum quas forma substantialis dicitur *actus primus corporis physici*, aut *ratio quidditalis*, aut etiam *prima radix proprietatum uniuscujusque speciei corporis naturalis*. Etenim forma tribuit actum corporis materiæ primæ, quæ independentem a forma est dumtaxat in potentia ad hoc, ut sit corpus, et corpus determinatæ speciei: ideoque tribuit corpori actum primum, nimirum substantialem, et ita est ratio quidditatis specificæ ac determinatæ, quodque exinde sponte consequitur, fons existit proprietatum atque attributorum ab illa corporis specie manantium (2).

Quæ cum ita sint, patet etiam, formam substantialem non esse totam compositi quidditatem seu essentiam, quemadmodum pauci quidam veteres opinati sunt. Ut enim scribit Lossada, «*compositi quidditas est substantia physice*

Aliæ
descriptiones
formæ.

Forma
non est tota
compositi
quidditas.

(1) Suarez, disp. 15 *Metaph.*, sect. 5, n. 1, 2.

(2) Cfr. Lossada, Op. cit. tom. 2. tr. 1. disp. 4. cap. 4. n. 40 seqq.

completa, forma autem nonnisi incompleta substantia est. » (1).

Proprietates
formae
est simplex.

156. Jam ut de formæ substantialis attributis nonnihil dicamus; forma substantialis dicitur in primis simplex. Caye autem ne eam proprietatem perperam intelligas; simplicitas enim, quæ formæ ab omnibus Peripateticis tribuitur, *exclusionem essentialis compositionis* importat: quo sensu non minus simplex est materia prima, quæ pariter est substantia quædam non composita ex aliis principiis essentiam ipsius constituentibus. Id tamen non impedit, quominus forma substantialis, non secus ac materia prima, partibus integrantes constet, quæ per quantitatem ita extenduntur in loco, ut singulæ singulis spatii partibus respondeant, et commensurentur. Quæ doctrina usque adeo invaluit apud Scholasticos, ut etiam communissime docerent animas ipsas plantarum et brutorum imperfectorum esse divisibiles in partes integrantes: quoad animas vero brutorum perfectorum acriter disputarent, num idem esset dicendum. Anima vero humana simplex procul dubio est, non modo essentialiter, sed etiam integraliter, totaque informat totum corpus et singulas partes. Deinde

fons activitatis;

Forma dicitur fons et principium activitatis corporeæ, eidemque adscribendæ sunt specificæ corporum proprietates, Etenim cum activitas speciem corporis consequatur, illi realitati adscribenda est, quæ speciem singulorum corporum determinat. Ad rem Angelicus: *Agere non est nisi rei subsistentis, et ideo neque materia agit, neque forma, sed compositum, quod tamen non agit ratione materiæ, sed ratione formæ, quæ est actus et actionis principium* (2). Similiter cum proprietates corporum variant pro specifica eorundem varietate, ab eo principio manare dicendæ sunt, quod speciem corporibus tribuit, nempe a forma substantiali. Sicut

(1) Ibid. n. 43. Vide S. Thomam (in lib. viii *Metaph.* lect. 3; de *Potentia*, quest. 3, art. 11, ad 11.^{um}; de *Ente est Essentia* cap. 5), aliosque passim AA. et potissimum Suar. (disp. 36 *Metaph.* sect. 2). Cfr. etiam Cajetan. in Opusc. S. Th. de *Ente et Essentia*, quest. 4.

(2) 1.^a dist. 12, q. 1, art. 2.

ob oppositam rationem quantitatis radicem diximus superius esse materiam primam. Præterea

Forma dicitur educi de potentia materiæ, et pariter perire per corruptionem: quæ proprietates opponitur illi, quæ materia dicitur ingenerabilis, et incorruptibilis, ut superius declaravimus. Materia enim est *ingenerabilis*, quia solum per creationem, nimirum absque ullo præsupposito subjecto, produci potest; forma vero *educitur*, non creatur, quia fit ex præsupposito subjecto. Materia est *incorruptibilis*, quia solum perire potest per annihilationem, ita ut si ipsa destruat, nihil ultra remaneat, quod ad ejusdem constitutionem pertinuerit, forma vero ita perit, ut superstes sit ejus subjectum seu materia. Hæc porro proprietas formæ minime convenit formæ seu animæ rationali, quæ ex peculiari sua spiritualitatis conditione, quemadmodum e nihilo creatur, ita desinere in existentia nequit, nisi per annihilationem.

educitur
de potentia
materiæ.

Age vero quid sibi velit formam educi de potentia materiæ satis explicatum manet, opinor, in *Ontologia* (1); verum juvat hic amplius declarare, propter gravissimum rei momentum. Formam educi de potentia materiæ perinde est, ac ipsam fieri dependentem a materia. *Actum extrahi de potentia materiæ*, inquit Angelicus, *nihil aliud est, quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia* (2), intellige per actionem dependentem a materia. Quod ut melius percipias, adverte non posse proprie *extrahi nec educi*, nisi quod aliquo modo inclusum et contentum est. Includi autem et contineri aliquid in alio potest, vel *formaliter* secundum propriam entitatem actualem, eo modo quo pecunia est in crumena, gladius in vagina; vel solum *potentialiter*, tamquam in causa, quæ potest in rei productionem concurrere. Et planum est, formam, antequam producatur, nullibi contineri *formaliter* seu actualiter (3), quemadmodum

Quid
sit formam educi
de potentia
materiæ.

(1) Vide *Ontologiam*, num. 414, pag. 1173.

(2) S. Thom. 1, p. q. 90, a. 2, ad 2.^{am}.

(3) Dicendum, quod forma præexistit in materia imperfecte; non quod aliqua pars ejus sit ibi in actu et alia desit, sed quia tota præexistit in potentia, et postmodum tota producitur in actu. S. Thom. de *Potentia*, quest. 3, art. 8, ad 10.^{am} Cfr. 1 p., quest. 45, art. 8; lib. 7.^o *Metaph.*, lect. 7, paragr. b; quibus aliisque in locis S. Doctor explodit

quidam veteres somniarunt, existimantes formas in sinu materie, saltem incomplete et secundum quamdam inchoationem, latitare (1); sed solum continetur in potentia causarum suarum, ex qua si *extrahatur*, produci dicitur. Jam quenam causæ concurrunt physice ad formæ substantialis (de formis non rationalibus semper loquimur) productionem? Causæ efficientes et causa materialis, seu materia prima; sed cum hoc discrimine, quod efficientes causæ *active* et *virtualiter* influant, materia vero prima solum *passive* et *receptive*; illæ enim agunt, at hæc illarum actionem recipit, et forma producit per illarum actionem receptam in materia, nec produci posset naturaliter absque concursu activo causarum efficientium et passivo materie (2). Tolle enim efficientem causam, et effectus sequi minime poterit; tolle subjectum, quod agentis actionem sustentet, formamque recipiat, et actio locum habere non poterit, nec proinde terminus ejus. Neque enim est ullum agens creatum, quod agere possit, nisi materia aliqua seipsam præbeat, in qua suam illud actionem exercent. Itaque quemadmodum si quis diceret formam *educi de potentia agentis*, nihil aliud significaret, quam formam fieri per virtutem atque activum influxum efficientis causæ; ita etiam cum Peripatetici formam *educi de potentia materia* pronuntiant, id unum verbis intendunt exprimere, formam fieri ex præsupposita materia, seu dependenter a materia, nimirum per actionem in materia receptam, cujus proinde terminus non nisi eidem inherens materiei existere potest.

formas in sinu materie, sive perfecte sive etiam imperfecte, secundum propriam substantiam latitantes.

(1) Vide S. Th., 1^a p., quæst. 45, art. 8; de *Potent.*, quæst. 3, art. 8; 2.^a dist. 18, quæst. 1, art. 2.

(2) Quia quamvis formæ educantur de potentia materie, illa tamen potentia materie non est activa, sed passiva tantum: sicut enim ut Commentator dicit (8.^o *Physicor.*) in motu locali oportet esse aliud movens et aliud motum, ita etiam in motu alterationis... Nec tamen sequitur, si in materia est potentia passiva tantum, quod non sit generatio naturalis, quia materia coadjuvat ad generationem non agendo, sed in quantum est habilis ad recipiendum talem actionem, quæ etiam habilitas appetitus materie dicitur et inchoatio formæ. S. Thom. 2.^o Dist. 13, q. 1, art. 2. Cfr. de *Verit.*, quæst. 11 (de Magistro), art. 1, in corp.

Unde vides, formam educi de potentia materie, in quantum materia, quæ est in potentia ad formam, fit actu sub forma; quod est *facere compositum* (1); vel in quantum materia ipsa transmutatur substantialiter tali actu, qui esse nequit nisi unitus materie, illamque efficiens et complens in esse substantiali (2). Nam sicut per transformationem accidentalem secundum terminos quantitatis figura nova existit in cera, ita ut esse illius ac fieri dependeat ab eo, quod figuratur, simili modo per virtutem agentium naturalium materia transmutatur substantialiter; admittendæ namque sunt substantiales mutationes (3). Et sic quæ prius erat sub una forma, nunc actuatur alia forma, quæ in tantum existit, in quantum illam materiam informat. Quamobrem formæ materiales, illæ nimirum, quæ in suo esse dependent a materia, dici nequeunt extrinsecus advenire vel superaddi materie, quia et sunt, et fiunt penitus eidem affixæ, non secus atque ipsæ formæ accidentales: e converso forma spiritualis, cum habeat esse per se, et non dependenter a materia, non fit per materie transmutationem, sed actione distincta et creativa, ac proinde dicitur esse ab extrinseco ac materie extrinsecus advenire (4).

Est hæc doctrina apud Scholasticos frequentissima (5), quam sic breviter complectitur P. Benedictus Pererius: «Ut autem plenius intelligatur, quid sit *educi e potentia materia*, exponemus quinque proprietates, quas habent formæ omnes

(1) S. Th. 7.^o *Metaph.*, lect. 7, in fine paragr. primi.

(2) Cfr. S. Th. de *Pot.*, q. 3, a. 11, 12; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 80.

(3) Materia transmutatur non tantum transmutatione accidentali, sed etiam substantiali, utraque enim forma in materia præexistit, unde agens naturale, quod materiam transmutat, non solum est causa formæ accidentalis, sed etiam substantialis. S. Th. de *Potent.*, quæst. 3, art. 11 ad 10.^{um} Sed de his fuse superius egimus.

(4) Vide S. Thom. de *Spirit. creat.*, art. 2, ad 8.^{um}

(5) Vide Suar. (disp. *Metaph.* 15, sect. 2); Semery (Op. cit., tom. 2, disp. 1, quæst. 3, art. 4); Lossada (loc. nup. cit. n. 25 seqq.); Joannem de Ulloa, qui egregie rem exponit (in *Physic.*, disp. 1, c. 1, n. 16, seqq.); Alemanni (Op. cit., *Prima secundæ*, quæst. 3, art. 12, 13); Ferrariensem (in lib. 2, *Contr. Gent.*, c. 68, vers. medium), et alios passim.

eductæ ex potentia materiæ: prima est, quod tales formæ producuntur ab agentibus materialibus per actiones materiales et per dispositiones materiales, hoc est, hærentes et infixas in ipsa materia: secunda est, quod tales formæ pendent in fieri a materia, hoc est non possunt gigni nisi intra materiam, eique penitus copulatæ, non enim per se producuntur, et extrinsecus adveniunt, et adjunguntur materiæ: tertia est, quod pendent a materia in esse, nam extra eam materiam, in qua ab initio productæ sunt, ne puncto quidem temporis aut per se subsistere, aut in alia materia existere possunt; sed plane idem est eas separari a sua materia, quod ipsas penitus interire: quarta est, quod pendent a materia in operationibus suis, ex quo fit, ut operationes hujusmodi formarum subjective non sint in forma, sed in toto composito: quinta est, quod pendent a materia quidditative, quamobrem sine ea nequeunt aut definiri aut perfecte intelligi. Eas igitur formas materiales et eductas ex potentia materiæ appellare oportet, in quibus inerunt prædictæ quinque proprietates» (1).

(1) *Benedicti Pererii Societatis Jesu, de Communibus omnium rerum naturalium principiis et affectionibus*, lib. 4, cap. 22, sub fin. Hanc Scholasticorum doctrinam si considerasset cl. Frédault, nunquam adeo turpiter aberrasset, hæc scribens. «Tous ces corps (des éléments) ont pour base une matière première, qui est, par elle même, un vaste devenir panthéiste, dans lequel sont en puissance, in virtute, (en quomodo confundat potentiam passivam materiæ cum activa, propria causæ efficientis) toutes les formes que cette matière peut prendre; de telle sorte que si la matière change de composition, les formes des éléments composants disparaissent et on voit surgir du fonds matériel comme une forme nouvelle qui donne la figure du composé... Une forme d'être émerge du fonds commun de la matière première pendant que les formes de composants s'y replongent pour n'y être plus que des devenir ou des puissances». Frédault (*Matière et forme*, ch. 7, pag. 75, Paris 1876). Quibus similia sunt hæc alia: «Mais cette immense matière première... qui detient dans son fond, cette multitude de principes formels; qui produit ces formes tantôt par él, tantôt par, là pour apparaître en les prenant comme un vêtement selon l'occasion; qui déclare ensuite que ces formes qu'elle émet sont des formes d'être: c'est du vrai, du pur panthéisme». (ib. ch. 8, pag. 86). Nimirum clarus scriptor cum thomisticam sententiam describere vellet, aliam jam diu antiquatam descripsit, doctrinamque

Merito ergo eductio a Lossada definitur: *productio formæ pendens essentialiter a subjecto præsupposito.... et aliquatenus incompleto, a quo et formam productam actualiter pendere et sustentari facit*. Ea quoque celeberrima est inter omnes Scholasticos formæ materialis proprietas, secundum quam.

Forma nequit dici per se fieri nec esse. «Ratio autem est, inquit Suarez, quia ejus est per se primo fieri, cujus et esse, cum fieri tendat ad esse. Sed id proprie est, quod subsistit. Ergo id proprie fit. Sed hæ formæ non subsistunt, sed composita ex ipsis: ergo ad composita proprie et principaliter terminatur actio. Confirmatur, nam actio est una, ut supponimus: ergo et terminus adæquatus est unus; sed hic non potest esse forma, quia compositum re vera fit, et non est forma: ergo. Majoris autem claritatis gratia distingui solet duplex terminus, scilicet, *ut quod*, et *ut quo*, seu *qui absolute fit*, vel *quo aliud fit*. Compositum ergo est terminus *qui*, seu *ut quod*, quia illud per se primo fit: nam illud maxime intenditur per generationem, et in id ultimate terminatur generatio; et a simili patet in artificialibus, nam domus est, quæ per se primo ædificatur, etc. Terminus autem *quo* est forma, quia fit, ut per eam compositum constituatur. Unde, quia verbum *educi* proprie tantum indicat habitudinem ad hunc terminum *quo*, ideo proprie ac simpliciter dicitur forma educi de potentia materiæ, non autem compositum: verbum autem *generari* aut *fieri*, dicit habitudinem principalem ad id, *quod* est, vel *quod* fit, et ideo simpliciter dicitur de forma, et non de materia» (1). Quam doctrinam didicisti Doctor Eximius ab Angelico, sic scribente: *Neque materia neque forma neque accidens proprie dicuntur fieri, sed id quod fit, est res*

Forma
non est nec
fit per se;

latitantium in simè materiæ formarum Thomistis appinxit, communiter a Scholasticis repudiatam explosamque. Materia profecto illa capacissimo quodam prædicta formarum armario, quasi totidem vestimentorum, quibus se pro temporum conditione induat, risum quidem excitare potest ignorantium hominum, peritorum vero nescio utrum magis stomachum commoveat, an miserationem erga scriptorem adeo turpiter lapsum, deque hoste ficto gloriose triumphantem.

(1) Suarez (*Metaph.*, disp. 15, sect. 4, n. 4). Cf. Conimbricem (*de Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 4, quæst. 15), et Rubius (*de Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 3 et 4, tract. 1, quæst. 3).

subsistens. Cum enim fieri terminetur ad esse, proprie ei convenit fieri, cui convenit per se esse, scilicet rei subsistenti (1). Idemque S. Doctor alias scribit cum Aristotele, illud quod generatur esse totum compositum ex materia et forma (2), et formas proprie non fieri, sed *comproduci seu concreari* (3); sicut magis sunt *coexistentia*, quam *entia*, ex eo quod non subsistant (4). Eademque plane est sententia S. Bonaventuræ: *Proprie loquendo, inquit, forma non generatur, sed compositum. Cum enim producitur forma, non producitur in se nec per se, sed in materia, et sic facit compositum, et ad illud terminatur generatio; nihilominus generatio vel productio naturalis respicit compositum gratia formæ* (5).

Quare forma materialis, quia non est subsistens, non dicitur fieri vel esse per se, verum per accidens, et ut *quo*, quia non fit, nec est, nisi quatenus ea fit, et est compositum; sicut e converso dicitur non per se, sed per accidens corrumpi, quia per corruptionem subjecti, desinit etiam ipsa esse.

Dicemus. Materialis forma fit, ut nuper docuimus, per educationem de potentia materiæ, atque adeo ita dependenter ab illa, ut per huiusmodi actionem non fiat ipsa materia. Atqui exinde aperte sequi videtur per educationem formam solam per se primo fieri.—*Resp. neg.* Minor. «Quia loquendo de ordine temporis, non prius fit forma, quam compositum, neque e converso. Loquendo autem de ordine naturæ, compositum non solum prius fit, sed etiam absolute illud solum fit per hanc actionem: forma vero solum confit. Et quamvis demus, in aliquo genere causæ formam prius natura educi, quasi ordine executionis, absolute tamen non intelligitur terminata actio, nec factum id, quod per se primo intenditur, donec fit totum compositum. Nec refert, quod aliqua pars compositi supponatur, et non formæ: oportet enim quatuor genera actionum distinguere:

(1) S. Thom. *de Potent.*, quest. 3, art. 1 ad 12.^{am} Cfr. *ibid.* art. 8; 1.^o dist. 23, quest. 1, art. 1; 1 p., quest. 45, art. 4, et art. 8; et quest. 65, art. 4.

(2) S. Thom., *Metaph.*, lib. 7, lect. 8; lib. 12, lect. 3.

(3) S. Thom., 1 p., quest. 45, art. 4, et art. 8.

(4) S. Thom., 1 p., quest. 45, art. 4.

(5) S. Bonavent. 2.^o dist. 7, part. 2.^a, art. 2, quest. 1 ad argum.

quædam enim est actio productiva tantum, et non unitiva, et hæc semper terminatur ad rem simplicem, et ideo ex se terminari potest ad entitatem partialem, si nata sit hoc modo produci, et talis est creatio animæ rationalis, atque idem est de creatione materiæ primæ, ut opinor. Alia est actio unitiva tantum et non productiva componentium, ut est generatio hominis, et hæc sine controversia terminatur tantum ad compositum *ut quod*, et ad unionem *ut quo*. Rursus est alia actio ita productiva alicujus compositi, ut simul sit unitiva et comproductiva omnium componentium, et huiusmodi est creatio prima corporum elementarium, quam constat per se primo terminari ad compositum, concomitanter vero ad materiam et formam. Alia denique est actio, simul unitativa e comproductiva alterius partis componentis ex præsuppositione alterius, et huiusmodi est actio eductiva, de qua nunc agimus, et ideo non est de ejus ratione, ut ipsius adæquatus terminus ita fiat de novo, ut nulla ejus pars præsupponatur esse (1).

Forma dicitur etiam in singulis corporibus unica (2), cujus rei hæc ratio redditur: forma dat esse corpori, id est, in sua specie constituit, unius autem corporis una species atque essentia est. Audi S. Thomam: *Unius rei est unum esse substantiale. Sed forma substantialis dat esse substantiale. Ergo unius rei est una tantum forma substantialis* (3).

Hoc attributum formæ hic expendere pro dignitate non possumus, nimis enim longam postuleret tractionem, alio commodius differendam. Sufficiat ergo pauca quædam notare de celeberrima controversia circa pluralitatem formarum in eodem subjecto, quam fuse atque eruditissime discussam vide apud Suarezium (4).

In primis plures formæ concipi in eadem materia possent, vel invicem *subordinatæ*, quorum aliæ aliis subservirent, subjectumque disponent ad earumdem receptionem; vel

estque unica
in singulis
corporibus.

Quid
dicendum
de formarum
pluralitate.

(1) Suarez, *disp. Metaph.* 15, sect. 4, n. V.

(2) De hoc argumento habet S. Thomas integrum opusculum, quod de *Pluralitate formarum* inscribitur.

(3) S. Thom. 1 p. quest. 76, art. 4.

(4) *Disp. Metaph.* 15, sect. 10. Cfr. alii veteres *Cursus Philosophiæ* passim.

non subordinatæ, sed inter sese *disparatæ*, quarum aliæ aliarum consortio minime egerent ad subjectum perfecte actuan- dum et ultimo complendum, quales essent, v. g. formæ duorum elementorum diversorum. Itaque de formis hujus- modi non sibi mutuo subordinatis, sed disparatis, com- munis est Peripateticorum sententia, plures esse simul in eodem subjecto seu materia naturaliter non posse: idque plane evincit manifestissima illa ratio, quam modo attu- limus.

De formis autem invicem subordinatis variæ perhibentur sententiæ. Prima Avicennæ, statuentis formam quandam corporeitatis, materiæ cœvæ, atque inseparabilem, et prorsus incorruptibilem, cujus munus sit substantiam in gradu corporeitatis generico reponere, qui gradus deinceps contrahatur per formas peculiare et específicas singulorum corporum. Hæc sententia jam pridem antiquata est, et refuta- tur a Suarezio (1). Aliâ sententia, quæ paucos nacta est patronos, multiplicat formas pro diversitate prædicatorum essentialium et graduum entitatis, ita ut corpus ab aliâ forma esset substantia, ab aliâ corpus, ab aliâ vivens etc. Hanc pariter jam antiquatam rejicit Suarezius (2). Utraque hæc sententia vel eo solum nomine satis excluditur, quod una sola forma sufficiat ad speciem diversaque prædicata essentialia corpori tribuenda. Id patet exemplo animæ in homine, quæ cum una sit tantum, ut certum omnino est ex alibi dicendis; tribuit non solum gradum specificum rationa- lis, sed etiam genericos animalis et vegetabilis entis, immo et ipsam rationem corporis, quemadmodum ostendetur in *Psychologia*, Deo favente, contra Scotistas. Frustra ergo multiplicantur formæ, ubi una sufficit. Tertia est opinio eorum, qui formas elementorum in mixtis integras atque in- corruptas admittebant: qua de re fuse superius egimus.

Quarta succedit opinio celeberrima Scoti et Henrici Gan- davenis, qui formam corporeitatis posuerunt in viventibus,

(1) Disp. *Metaph.* 17, sect. 3, n. 12 seqq.; et disp. 15, sect. 10, n. 4 seqq.

(2) Disp. *Metaph.* 15, sect. 10, n. 5 seqq. Cfr. *de Anima*, lib. 2, cap. 6, n. 4.

ille quidem in omnibus, hic vero solum in homine. Hujus- modi forma esset ea ipsa, quæ in corpore viventium statim post animæ separationem remanet, antequam organismus destruat, ejusque munus esset «constituere materiam in esse corporis physici organici, quod est proprium viventium, et quod ita constitutum ordinaretur, ut ultimo complebile, ad animam per quam constituitur in specie corporis viven- tis», ut ait Lossada (1). Hanc opinionem Scotistarum com- munissime refutant Thomistæ nostrique Auctores (2). Cæ- terum principium hoc de una tantummodo forma in singulis corporibus, communissimum inter Scholasticos, sæpe assu- mitur ab Angelico Doctore (3).

Cum hæc doctrina de unitate formæ substantialis in sin- gulis corporibus intime conserta est, tamquam ejusdem comple- mentum et corollarium, illa aliâ pulcherrima doctrina Doctoris Angelici, quæ formas numeris assimilat ita, ut quemadmodum in numeris additio unitatis variat speciem, novumque numerum efficit continentem numeros inferiores et aliquid amplius, idem quoque locum habeat in formis substantialibus. Sed præstat audire Aquinatem: *Relinquitur... dicendum, quod cum formæ rerum naturalium sint sicut nume- ri, in quibus est diversitas speciei; addita vel subtracta uni- tate, ut dicitur in octavo Metaphysicorum text. comm. 10*, oportet intelligere diversitatem formarum naturalium, secundum quas constituitur materia in diversis speciebus ex hoc, quod una addit perfectionem super aliam, ut puta quod una forma constituit in esse corporali tantum (4): hunc enim oportet esse infimum gradum formarum materialium, eo quod materia non est in potentia nisi ad formas corporales: quæ enim incorporeæ sunt, immateriales sunt... Aliâ autem perfectior forma consti- tuit materiam in esse corporali, et ulterius dat ei esse vitale,

Formæ
se habent sicut
numeri

(1) Op. cit. tom. 2. disp. 5. n. 5, ubi fuse refutatur ejusmodi forma corporeitatis.

(2) Vide Suarez *Metaph.* 15, sect. 10. n. 8 seqq., Lossada (loc. cit.), et alios passim.

(3) Vide 1^a p. quest. 76, a. 3, 4; *Contr. Gent.* lib. 2. c. 38; *de Anima* art. 11; *Quodlib.* 1, q. 4. a. 6; lib. 2. *de Anima*, lect. 1. paragr. d; *de Spirit. creat.* art. 3, etc.

(4) Nimirum corporis non viventis.

Et ulterius alia forma dat ei et esse corporale et esse vitale, et super hoc addit ei esse constitutum, et sic in aliis. (1).

Hinc nulla est necessitas multiplicandi formas pro varietate perfectionis, sed quod in rebus naturalibus ad altiorum gradum perfectionis attingit, per suam formam habet quicquid perfectionis convenit inferiori naturæ, et per eandem habet id, quod eidem de perfectione superadditur. Sicut planta per suam animam habet, quod sit substantia, et quod sit corporea, et ulterius quod sit animalium corpus; animal autem per suam animam habet hæc omnia, et ultra, quod sit sentiens; homo autem super hæc omnia habet per suam animam, quod sit intelligens (2). Et rationem reddit S. Doctor hujus doctrinæ: Quod quidem sic considerari potest. Forma enim est similitudo agentis in materia. In virtutibus autem activis et operativis hoc invenitur, quod quanto aliqua virtus est altior, tanto in se plura comprehendit, non composite sed unite, sicut secundum unam virtutem sensus communis se extendit ad omnia sensibilia, quæ secundum diversas potentias sensus proprii apprehendunt. Perfectioris autem agentis est inducere perfectiorem formam. Unde perfectior forma facit per unum omnia, quæ inferiores faciunt per diversa, et adhuc amplius. Puta si forma corporis inanimati dat materiæ esse et esse corpus, et forma plantæ dabit ei et hoc, et insuper vivere. Anima vero sensitiva et hoc, et insuper sensibile esse. Anima vero rationalis et hoc, et insuper rationale esse etc. (3).

ARTICULUS V.

Solvuntur difficultates.

Objectiones, ut clarius procedamus, in tria capita distribuemus; primum earum, quæ integrum systema, alterum earum, quæ materiam primam, tertium denique earum, quæ substantiales formas conantur profligare.

(1) S. Th., quæst. de Anima, art. 9; et quæst. de Spirit. creat. art. 3, vers. fin. Vide etiam 1. p. q. 76, art. 3, vers. fin. corp.; et Quodlibeto 1. a. 6; Opusc. de Pluralitate formarum etc.

(2) S. Th. Comp. Theol., c. 92. Cf. lib. 2, de Anima, lect. 1, paragr. d; Quodlib. 11, q. 5, a. 5; et alibi.

(3) Quæst. de Spirit. creat., art. 3, vers. fin.

§ I.—DIFFICULTATES CONTRA INTEGRUM SYSTEMA.

157. **Objic. 1.^o** Rejicienda est illa hypothesis, quæ magnas patitur difficultates, si aliæ hypotheses planæ atque intelligibiles ad rem, de qua agitur, explicandam idoneæ præsto sint. Atqui Scholasticorum hypothesis magnas certe patitur difficultates, aliæque opportunæ hypotheses non desunt. Ergo...

Resp. dist. 1.^{am} partem Majoris; si difficultates illæ insuperabiles sint, *conc.*; secus, *trans.*

Contradist. 1.^{am} partem Minoris. Systema scholasticum patitur difficultates insuperabiles, *neg.*; facilius superabiles aliis systematibus, quæ perhibentur, *conc.* Et **nego 2.^{am}** partem Minoris.

Objic. 2.^o Illud systema rejiciendum omnino est, quod ea ipsa facta, quæ maxime explicare deberet, non explicat; præsertim si aliud adsit systema, quod facta illa commode explicat. Atqui peripateticum systema nullum factum, nullas leges compositionem corporum respicientes explicat, explicat vero solide, dilucide, harmonice, pulchre omnia chymicum systema. Ergo.

Resp. dist. 1.^{am} partem Minoris; id est nullius facti aut legis rationem reddere potest, *neg.*; id est, non explicat, et describit facta et leges, quatenus respiciunt proxime modum practicum, quo compositionis et resolutiones chemicæ peragi debeant, *subdist.*: quia id non spectat ad provinciam suam, *conc.*: secus *neg.*

Distinguo etiam 2.^{am} partem; chymicum systema omnium factorum reddit sufficientem rationem, *neg.*; ea facta dilucide explicat, et describit, quæ practicum modum continent chemicas operationes peragendi, *conc.* Verum patent hæc ex superius dictis.

Objic. 3.^o Constat combinationes omnes corporearum substantiarum lege *proportionum determinarum* et *multiplorum* regi. Atqui harum legum in hypothesis peripatetica nulla reddi ratio potest. Ergo.

Resp. neg. Minor. Combinationes enim fiunt ope virium, quas affinitates dicunt, quasque, seclusa vocabuli novitate,

admissa a priscis Philosophis esse constat. Dicit ergo Peripateticus vires illas, per quas agunt mutuo corpora, et agendo se miscent, ut novum corpus efficiant, non aliter apte ad hunc finem agere posse, nisi secundum eas proportionales et conditiones, quæ duplici laudate lege continetur: verbo idem respondere poterit, quod Chemicus. Sicut enim experientia docet ignem comburere, vel certam vim caloribus certum dilatationis gradum gignere; ita experientia docet combinationes legibus proportionum determinatarum et multiplo- rum subjici.

Objic. 4.^o Systema Scholasticum docet materiam et formam non esse substantias completas, sed partes tantum substantiæ. Atqui hæc hypothesis pugnat cum certissimis principiis Philosophiæ. Ergo... Probatur Minor. Quæcumque realitas vel substantia est, vel accidens. Atqui duplex illa realitas, materia et forma, nec substantia est nec accidens. Non accidens, quia ex compositione accidentium nequit resultare substantia. Non substantia, quia si esset substantia, non esset pars substantiæ, sed completa et integra substantia; siquidem substantia, cum in indivisibili consistat, si non est completa, nullo modo substantia est.

Resp. Neg. Minor ad probat. conc. Major., et neg. primum membrum Minoris. Materia et forma non dicuntur partes substantiæ, quasi non competat eis tota ratio ac definitio substantiæ, sumptæ in sensu transcendentali, quatenus est ens per se vel, ens in alio, et complectitur omnem realitatem non accidentalem, quæcumque illa sit. Sed dicuntur partes substantiæ, sumptæ in sensu prædicamentali, substantiæ videlicet complete; non enim ipsæ seorsim ab alia præ se ferunt totam illam perfectionem substantialem, quam ex naturæ instituto debent habere, sed eam accipiunt per unionem cum alia comparte, constituendo corpus. Verum hæc fusius declarata et demonstrata sunt in *Ontologia*, ubi relegi possunt (1).

Objic. 5.^o Unum ex dogmatis, quæ Peripatetici postulavit, est mutua corporum saltem elementarium transmutabilitas. Atqui id absurdum est.

(1) *Ontol.* n. 278, 279, pag. 810 seqq.

Resp. dist. Major. Peripatetici recentiores, neg.: antiqui, subdist.: idque non suo, sed temporum vitio, et ex rudi scientiarum naturalium conditione ac statu, conc.; secus, neg. In hac parte nos Chemicam consulimus; et transmutationes substantiales admittimus ad mixtorum generationem; mutuas autem elementorum aliorum in alia conversiones admittendi jus non habemus, nisi forte in corporibus *allotropis*, quæ secundum superius dicta nullo alio modo melius explicari videntur, quam per substantialem transmutationem in alium statum, in quo diversissimas præ se ferant proprietates. Quamquam fateor phænomena allotropiæ obscurissima omnibus esse.

§ II.—DIFFICULTATES CONTRA MATERIAM PRIMAM.

158. Objic. 1.^o Nulla est necessitas materiæ primæ, si generationes substantiales fieri possint absque ullo communi subjecto, quod ab uno esse vel forma transeat ad aliud. Atqui explicari eo modo possunt generationes substantiales. Ergo... Et probatur Minor. Quia possumus dicere hanc esse legem in natura, ut in productionibus totum, quod præcessit, prius destruat, ac deinceps totum pariter corpus de novo gignatur.

Resp. neg. Minor. ejusque probationem, quæ jam præoccupata fuit, cum probaretur existentia materiæ primæ.

Objic. 2.^o In rebus naturalibus, quæ in aspectum cadunt, debemus iudicium sensuum sequi. Atqui sensus in transmutationibus substantialibus nullum subjectum, quod remaneat, corrupto priori corpore, nobis exhibent; secus atque in accidentalibus mutationibus. Ergo neganda est materia prima.

Resp. dist. Major. Solum iudicium sensuum sequi debemus, neg.; iudicium sensuum ratiocinatione mentis adjutum et perfectum, conc.

Contradist. Minor. Sensus soli, trans.; sensus ratiocinatione adjuti et perfecti, neg. Si enim in generationibus nullum subjectum substantiale remanet, sed totum prævium corpus in nihilum redigitur, et totum novum creatur; cur nova corpora et augmentationes ac nutritiones semper, ad

hoc ut existant, alia corpora præsупponunt? quis præsупposita illa corpora totaliter destruit? an seipsa interimunt? an a novis destruuntur? Sed cur ita, si omnia pacifice existere possunt, quoad commune subjectum, mutatis dumtaxat formis, potissimum si sufficiens omnibus capiendis pateat locus? Verum hæc omnia nimis nota atque evidentiæ sunt (1).

Objc. 3.^o Materia prima dicitur pura potentia. Atqui pura potentia nequit esse reale principium, cum sit physice nihil. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Dicitur pura potentia logica, *neg.*: pura potentia subjectiva et physica, *conc.*

Et *contradist.* Minore ac ejus probatione, *neg.* conseq. Omniaque patent ex superius declaratis.

Objc. 4.^o Materia prima, saltem juxta Thomistarum doctrinam, ex se non habet *esse*, sed habet a forma ut sit; forma autem ex materiæ potentia dicitur educi. Atqui hæc repugnant; nam tunc se invicem causarent materia et forma.

Resp. *Transmissa* Majore, *neg.* Minor., et hujus probationem *disting.* Materia et forma sibi invicem causa forent in diverso genere causalitatis, *trans.*; in eodem, *neg.* Tum *neg.* conseq. Jam notavimus superius materiæ potentialitatem diversimode ab auctoribus declarari; objectio vero cum unam tantum illarum explicationem impetat, ad summum probaret, illam haud satis aptam esse, ideoque alteram teneri debere. Quamquam ne id quidem necessario sequitur, quandoquidem in nullius sententia materia dicitur esse *pura potentia* logica; sed juxta omnes communiter AA. est vera potentia physica (2), quæ proinde potest causalitatem suam subjectivam præbere, ut forma ex ipsius potentia educatur. Et sic materia causat formam (loquor semper de formis materialibus), sustentando eam; forma vero causalitatem exercet in materiam, communicando ipsi esse substantiale ac specificum et existentiam. Cæterum cum aliam nos hac de re sententiam probabiliorem reputemus, nullum nobis objectio hæc negotium facessit.

(1) Vide Angelicum Doctorem, *de Potent.*, quæst. 5, art. 4; 1 p., quæst. 104, art. 4: quibus in locis ostenditur nullam rem annihilari. Cfr. Suarez, disp. 13 *Metaph.*, sect. 1, num. 6-10.

(2) Cfr. superius dicta in articulo precedenti.

Objc. 5.^o Materia pariter dicitur *in potentia omnia*. Atqui id contradicit experientiæ omnium sæculorum.

Resp. *dist.* Major. Scilicet est in potentia remota ad formam cujuslibet corporis, *conc.*, est in potentia proxima et expedita, *neg.*

Contradist. Minor., et *neg.* conseq. Quemadmodum ex hactenus dictis abunde patet, nihil studiosius cavere in hac disputatione conati sumus, quam ut quidquam a priori decerneremus, eo semper animum intendentes, ut ex phænomenis experientiæ ad corporum naturam materiæque et formæ essentiam cognoscendam assurgeremus. Experientia porro, chemicis observationibus illustrata et perfecta, non alias corporum trasmutationes perspicuas atque indubias nobis exhibet præter simplicium in mixta syntheses et compositorum in simplicia resolutiones, ac forte transformationes allotropicas. Itaque non sic possumus materiæ potentiam ad omnia intelligere, ut corrupto quolibet corpore, materia ipsius illico accipere possit quamlibet aliam formam, et ita quodlibet corpus etiam simplex v. g. in aurum convertatur. Quamquam enim materia prima, utpote una specificæ in omnibus corporibus, quantum est de se, copulari possit cum qualibet horum forma, tamen fieri bene potest, ut semel copulata uni formæ, cum qua certum constituat corpus, multas alias recipere, cumque illis certa alia corpora constituere, non possit, non quidem ex defectu *potentiæ passivæ* in ipsa, sed ex defectu *potentiæ activæ* in agentibus, quæ communiter applicantur, nimirum ex conditione causarum naturalium, quæ virtutem non habent formas illas educendi. Quare materia prima ex se quidem nulli formæ repugnat, sed tamen dum est sub formis certorum corporum, non habet potentiam proximam et expeditam, ut possit certas alias formas accipere.

§ III.—DIFFICULTATES ADVERSUS FORMAM SUBSTANTIALEM

159. Objc. 1.^o Unumquodque componitur ex iis, in quæ per chemicam analysin resolvitur. Atqui in chimica resolutione nullum cernitur formæ substantialis vestigium. Ergo.....

Resp. dist. Major. Unumquodque ex iis *solis* componitur, quæ in resolutione chimica oculis cernuntur, *neg.* Illa quæ in analysi chimica deprehenduntur, vere componebant corpus, saltem aliquo modo, *trans.*: de hoc enim fusc disputatum est in primo capite (1).

Trans. Minor, et neg. conseq. Fac analysin chimicam canis vel hominis, et nullibi poteris videre animam, quæ tamen certissime compositum constituat caninum vel humanum. Nimirum *nulla forma substantialis est per se sensibilis, sed solo intellectu comprehensibilis* (2).

Objic. 2.^o Forma substantialis, quæ sit entitas realis et physica distincta realiter a materia, vel ex ipsa Philosophi ac D. Thomæ doctrina rejicienda est. Nam juxta hos Scholæ peripateticæ principes duces, *forma... non generatur, nec fit nisi per accidens, nec proprie habet esse.* Atqui hæc intelligi nequeunt, admissio peripatetico formæ substantialis conceptu. Sane quod nec est, nec fit, nihil est nisi pure possibile.

Resp. neg. assert. Ad probationem *neg.* Minor. Nam prout jam satis explicuimus, licet forma non sit, nec fiat *per se*, nempe instar subsistentis, sed vere fit, et est quodammodo per accidens, seu concomitanter et *ut quo*, quatenus ea in actumeducta fit, et est compositum; et ita etiam dicitur *confieri.* Quare «neque Aristoteles nec D. Thomas omnino negat formam vere produci; quin potius ita loquitur sæpe S. Thomas, v. g. quæstione 3.^a de Potentia (a. 8. ad 10.^{um}): *Forma tota præexistit in potentia, et postmodum tota producitur in actu.* Et eadem quæstione (art. 9 in corp.): *Forma exit in esse per generationem:* quia scilicet producitur eadem actione, qua compositum generatur. Ea tamen actio, quæ respectu compositi dicitur *generatio*, illudque denominat *generatum* seu *genitum*, respectu formæ dicitur *eductio*, illamque denominat, non *genitam*, sed *eductam.* Quare? Quia ita fert usus veterum» (3).

Objic. 3.^o Substantia non est id, quod alteri tamquam subjecto inhæret. Atqui forma substantialis materiæ tamquam

(1) Artic. 4.

(2) S. Thom., lib. 2. de Anima lect. 14, paragr. h.

(3) Lossada, *Physic. tract. 1. disp. 4. c. 2. n. 12. 13.* Et vide Suar. citat. disp. 15, sect. 4, n. 4.

subjecto inhæret. Ergo forma, quæ substantialis dicitur, vere substantia non est, sed accidens (1).

Resp. dist. Major. Substantia non est id, quod alteri tamquam subjecto complete constituto in sua essentia et specie inhæret, quodque *subjectum inhætionis* dicitur, *conc.* Substantia non est id, quod alteri inhæret tamquam subjecto incompleto, quod illius actum ex naturæ ordinatione postulat, ut integram essentiam et speciem præ se ferat, quodque *subjectum informationis vel sustentationis* dici potest, *neg.*

Contradist. Minor., et neg. conseq. Solutio satis, puto, manifesta est ex iis, quæ supra de completa et incompleta substantia explicuimus. Sunt enim nonnullæ entitates adeo imperfectæ atque imbecilles, ut vel ad ipsum primum esse rei complete exhibendum, unionem et consortium sibi vindicent alterius compartis. Ita sola materia non habet esse primum corporis, sed est potentia, quæ per aliam realitatem actuat, illud habebit; et forma pariter non est totum esse primum corporis, sed actus, qui in materia receptus corpus in esse primo complet. Et quamquam forma non potest esse primum corpori tribuere, essentiamque ejusdem constituere, nisi *materiam informando, materiæ inhærendo* tamquam subjecto; accidens tamen dici nequit, accidens enim non est actus, qui potentiam substantiæ materialis complet in ratione integræ essentiæ naturalis. Unde solus conceptus *inhætionis*, seu *informationis*, seu *essendi in alio*, non constituit definitionem accidentis, nisi addatur vel subaudiatur inhætionem illam in eo subjecto locum habere, quod jam aliunde completa gaudeat essentia (2).

Instabis. S. Thomas (3) contra accidentium a substantia separationem in Eucharistia hoc sibi proponit argumentum secundo loco ex ipsis accidentis et substantiæ definitionibus: *Ad definitionem accidentis pertinet, quod sit in subjecto, ad definitionem vero substantiæ, quod per se subsistat, non in*

(1) Cfr. apud Suar. *Metaph. disp. 15, sect. 1, n. 2.*

(2) Cfr. Suar., disp. 15, sect. 1, n. 19, 20; disp. 16, sect. 1, n. 13. Et vide quæ in *Ontol.* n. 275, pag. 798 diximus de subjecto, ubi explicatum manet, qualenam subjectum sit illud, cui accidens inhæret.

(3) S. Thom., 3 p., quest. 77, art. 1, arg. 2.

subjecto. Atqui in responsione non usurpat hanc nostram doctrinam, sed difficultatem solvit, dicens in illis definitionibus *inhæsiōnem* aut non *inhæsiōnem* non sumendas esse *actualiter*, sed *aptitudinaliter* et secundum exigentiam. Non est ergo definitio *substantiæ*, inquit, ens per se sine *subjecto*, nec definitio *accidentis*, ens in *subjecto*; sed *quidditati seu essentiæ substantiæ* competit habere esse non in *subjecto*; *quidditati autem, sive essentiæ accidentis* competit habere esse in *subjecto*. Ergo S. Thomas censuisse putandus est, quidquid alteri tamquam *subjecto* inhæret, aut inhæreere postulat, *accidentis* habere rationem.

Resp. dist. Minor. Non usurpavit expositam a nobis doctrinam, quia illa instituto suo non conducebat, *conc.*; quia eam non approbat, *neg.* Doctrina superius declarata omnino S. Thomæ est, non uno in loco tradita. Sic in Opusculo de *Natura accidentis*: *Et quia esse, inquit, est actus entis, hoc autem verbum inesse est designans inhærentiam accidentis; ideo inesse rei perfectæ est esse accidentis, quod extraneum a rei natura esse necesse est* (1).

Verum opus non est, ut hic diutius immoremur. Angelici enim Doctoris et commune Scholasticorum principium est, formas alias esse subsistentes, alias *inhærentes*, et materiam esse in *potentia* ad formam, formam vero esse *actum*, qui *recipitur* in materia: quæ aliaque axiomata peripatetica, immo tota theoria circa corporum constitutionem, necessariis postulanti formæ *substantialis* inhæsiōnem in materia, quæ proinde illius *subjectum* existit. Denique communis divisio formæ in *substantialem* et *accidentialem* satis ostendit, informationem esse utriusque communem, et differentiam proinde

(1) Vide etiam quæst. de *Spirit. creat.*, art. 3, ubi hæc habentur manifestissima: *Secundo vero, quia in hoc consistit ratio accidentis, quod sit in subjecto, ita tamen quod per subjectum intelligatur aliquid ens actu, et non in potentia tantum: secundum quem modum forma substantialis non est in subjecto*. Et alibi *Per animam enim intelligimus id, quo habens vitam vivit: unde oportet, quod intelligatur sic, ut aliquid in subjecto existens; ut accipiatur hic large subjectum, non solum prout subjectum dicitur aliquid ens actu, per quem modum accidentis dicitur esse in subjecto, sed etiam secundum quod materia prima quæ est ens in potentia dicitur subjectum*. S. Thom., lib. 2.^o de *Anima*, lect. 1, paragr. d.

quærendam esse in eo, quod *substantialis* forma primam et intimam rei entitatem constituat, *accidentalis* vero constitutam supponat. Itaque quando *substantia* dicitur non inesse in alio tamquam in *subjecto*, secus atque *accidens*, nomine *subjecti* debet intelligi ex communi sententia *subjectum*, quod sit *substantia* completa, hæc enim proprie et simpliciter et quasi antonomastice *subjectum* dicitur (1).

Objic. 4.^o Inter corpus et spiritum nihil *substantiale* datur medium. Atqui forma *substantialis*, juxta Peripateticos, neque est corpus neque spiritus. Ergo est aliquod ens prorsus *chimæricum*.—*Resp. neg.* Major. Principia enim corporis intrinseca neque spiritus neque corpus esse possunt.

Objic. 5.^o Forma *substantialis* dicitur produci in generationibus *substantialibus*. Atqui causæ naturales pertingere nequeunt ullius entitatis *substantialis* productionem. Ergo... *Prob. Minor.* Nam causæ naturales non agunt nisi per motum. Sed motu non gignitur nisi motus vel quædam dispositio rei motæ, non vero ulla nova entitas *substantialis*. Ergo...

(1) Ad rem Angelicus Doctor: *Duplex est esse, scilicet esse essentialis sive esse substantiale rei, ut hominem esse; et hoc est esse simpliciter. Est autem aliud esse accidentale, ut hominem esse album; et hoc est esse secundum quid. Ad utrumque autem esse est aliquid in potentia; aliquid enim est in potentia, ut sit homo... aliquid in potentia, ut sit album... Sed in hoc differunt: quia illud quod est in potentia ad esse substantiale, dicitur materia ex qua: quod autem est in potentia ad esse accidentale, dicitur materia in qua. Item proprie loquendo, illud quod est in potentia ad esse substantiale, dicitur materia prima: quod autem est in potentia ad esse accidentale, dicitur subjectum: subjectum enim dat esse accidenti, scilicet existenti, quia accidens non habet esse nisi per subjectum; unde dicitur quod accidentia sunt in subjecto. Et secundum hoc differt materia a subjecto, quia subjectum est, quod non habet esse ex eo, quod aliquid ei advenit, sed quod est per se, et habet esse completum, ut homo non habet esse per albidinem. Sed materia dicitur quod habet esse ex eo, quod sibi advenit, quia de se esse incompletum, imo nullum esse habet, ut dicit Commentator in 2 de Anima. Unde simpliciter loquendo, forma dat esse materiam, accidens autem non dat esse subjecto, sed subjectum accidenti: licet aliquando ponatur unum pro alio, scilicet materia pro subjecto, et e contrario. S. Thomas, de Principiis naturæ. Cfr. 1 p., quæst. 76, art. 4; de Ente et Essent. c. 7. Unde forma quamvis in se considerata etc.*

Resp. *neg.* Minor.

Ad probationem *dist.* Major. Ita ut non aliam exerant activitatem præter merum localem motum, *neg.*: ita ut localis motus sit quasi vehiculum actionum causarum naturalium, *conc.*

Contradist. Minor. Motu pure locali, *trans.*; motu physico seu operatione naturalium causarum, *neg.* Quod causarum naturalium activitas ultra motus mechanici et accidentalium ambitum modificationum non porrigatur, doctrina quidem est atomistarum, nondum tamen satis solidis argumentis confirmata. Nos vero qui necessitatem formarum substantialium agnoscimus ad rite explicandas mutationes substantiales, logice concludimus admittendas esse vires in natura et activitatem formis ejusmodi producendis parem. Si quis autem querat, ubinam est ejusmodi activitas, respondebimus eam repetendam esse a formis substantialibus et qualitatibus corporum ipsorum, quæ invicem agunt, non solum loco movendo, sed etiam alterando atque adeo destruendo corporea composita (1). *Propria forma*, inquit Angelicus, *uniuscujusque faciens ipsam esse in actu, est principium operationis ipsius* (2). Verum de his inferius accuratius disputandum est: quare ab aliis difficultatibus hac super re urgendis nunc supersedemus.

Objic. 6.^o Forma substantialis dicitur educi de potentia materiæ. Atqui formarum educio vel absurdum continet, vel nihil aliud est in re ipsa, quam creatio. Ergo Peripatetici vel absurda cogentur admittere, vel creandi potestem naturalibus causis tribuere. Prob. Minor. Educcio enim illa vel ita intelligitur, ut formæ substantiales in materia præexistant, sive secundum se totas, sive saltem secundum partem sui, vel ita ut nihil de illis præexistat, ideoque secundum se totas producantur. Primum a nobis ipsis tamquam absonum veritati repudiatum est; alterum vero implicat formæ substantialis productionem de nihilo, videlicet creationem. Ergo stat Minor probanda.

(1) Cfr. in hanc Suarezius, *Metaph.* disp. 15, sect. 1, n. 175 disp. 18, sect. 1, n. 14, seqq. et sect. 2.

(2) 2. 2. quest. 179, n. 1.

Resp. 1.^o *neg.* Minor.

Ad hujus probationem, *conc.* Major., et eligo secundum membrum. Minoris primam partem *conc.*, alteram *dist.* Educcio implicat formarum substantialium productionem e nihilo sui, sed ex præjacente materia, *conc.*; e nihilo sui et subjecti, quemadmodum ratio postulat creationis, *neg.*

2.^o Responderi etiam potest, retorquendo totam vim argumentationis objectæ contra productionem formarum accidentalium. Intellectio et volitio actiones sunt reales, quæ proinde realem quoque sibi terminum vindicant: *realem*, inquam; si enim controversia de nomine seponatur, actus ipse intelligendi et volendi, ad quem intellectio et volitio illa terminantur, aliquid est independentem ab omni mentis consideratione, atque adeo reali aliqua gaudet entitate. Quæro ergo de hujusmodi entitate, sitne terminus creatus. Qua in re neminem fore puto, qui tantisper hæreat. Atqui tamen actus ille prius non existerat, et totus quantus e nihilo sui productus est. Igitur sola rei productio ex nihilo sui constituere actionem creativam nequit, nisi etiam prævio subjecto careat, in quo actio exerceatur, et recipiat terminum productus. Audi, quæ scribit S. Basilius super illa verba *Genesis* (cap. 1, vers. 11). *Germinet terra herbas: Nec sane palmam aut quercum aut cubressum aliquo in loco inferioris uteri sui eatenus retrusa, in apertum et probalam eduxit et edidit. Germinet*, inquit, *terra: non id quod habet emittat, sed id quo non est prædicta, consequatur, actionis operationisque Deo facultatem atque potentiam largiente* (1). Quæ quamquam de viventibus scripta fuerint, locum habent generatim in generationibus corporum inorganicorum secundum proprium gradum.

Instabis 1.^o S. Thomas (2) creationem definit *emanationem totius entis a causa universali*. Atqui exinde aperte sequitur vera formarum substantialium creatio. Et proba. Id quod producitur in educatione formarum de potentia materiæ est ipsa forma substantialis. Aliunde vero nihil de formæ entitate præexistit. Ergo tota quanta de novo producitur, ac proinde

(1) Homil. 8 in *Hexaem.*

(2) 1 p., quest. 45, art. 1.

productio ejusdem vere est emanatio totius entis, quod e possibilitatis statu ad actum emergit existentiae.

Resp. dist. Major. Creatio ad mentem S. Thomæ est emanatio totius entis nimirum totius suppositi vel subsistentis, quod secundum totam suam realitatem accipiat existentiam, *conc.*; entis non subsistentis, *neg.* Nulla est in doctrina Doctoris Angelici reliquorumque Scholasticorum contradictio. Una enim est omnium communis ratio loquendi, secundum quam terminus *qui* creationis, et etiam generationis, est res subsistens, cum hoc tamen discrimine, ut terminus creationis totaliter fiat, terminus autem generationis non fiat totaliter, sed ex præsupposito subjecto. Jam vero materialis forma non est subsistens, sed subsistit in materia tamquam actus ejus, dependens ab illa in *esse*. Ergo quod tota entitas formæ, prout a materia condinctæ, sit simplex, ac totaliter in illa sua incompletæ substantiæ ratione producatur, satis non est, ut creari dicenda sit; sed præterea requiritur, ut neque in *feri* neque in *esse* ab ullo subjecto seu materia dependeat, ac proinde sit terminus *qui* productionis: id enim poscit ratio entis subsistentis. Cum itaque formæ omnes, rationali excepta, a præjacente subjecto dependeant, non recte potest illarum productioni definitio creationis applicari. Neque enim ejusmodi formæ e nihilo producuntur, sed e potentia educuntur materiæ; neque per earum productionem revera *totum ens* (quod sit terminus *qui* actionis) emanat a causa efficiente, sed partim emanat, partim præsupponitur.

Instabis 2.^o Atqui id purus verborum lusus videtur, et forma substantialis non modo e *nihilo sui*, verum etiam e nihilo subjecti educitur. Nam minime fit e subjecto, quod subjecto non constat, neque ex illo componitur. Atqui forma substantialis, cum sit essentialiter simplex, nec subjecto constat, neque ex illo componitur. Ergo nisi ludere vocibus velimus, forma vere creatur (1).

(1) Simili argumento veteres occasionaliste suum errorem fulcire voluerunt apud Angelicum Doctorem (lib. 3. *Contr. Gent.* cap. 69): *Hunc autem errorem rationibus confirmare conati sunt, ostendentes nullam formam, neque substantialem neque accidentalem, nisi per viam creationis produci in esse. Non enim possunt formæ et accidentia*

Resp. neg. subsumptam Minorem.

Ad probationem *dist.* Major. Minime fit e subjecto id, quod subjecto non constat, etc., si sermo sit de re subsistenti, *conc.*; si sermo sit de forma non subsistenti, *subdist.*: minime fit e subjecto, tamquam ex causa materiali intrinseca, quod subjecto non constat, etc. *conc.*; tamquam ex causa materiali extrinseca, *neg.*

Et *contradist.* Minor. Quia nimirum non habet causam materialem intrinsecam, *conc.*; secus, *neg.* Et *nego* consequ. Revoca in mentem, quæ superius observavimus de duplici causalitate materiali, intrinseca nimirum et extrinseca. Nam actio creativa et terminus vere cretus utramque excludit ex communi Scholasticorum sententia. Ut ergo aliquid vere creatum dicatur, non sufficit, ut in se non contineat partem aliquam, quæ prius extiterit, sed præterea tale esse debet, ut neque in sui productione, neque in sui existentia dependeat ab aliquo subjecto prius per aliam actionem producto. Atqui hæc ultima conditio in formam substantialem ejusque productionem minime quadrat. Ad rem insignis theologus P. Gregorius de Valentia: «Nec obstat, quod formæ naturales et artificiales, cum producuntur ab agentibus naturalibus et artificialibus, videntur ab eisdem creari, quandoquidem producuntur secundum se totas, et non componuntur ex subjecto. *Non*, inquam, *hoc obstat*. Nam, ut recte D. Thomas docet hic art. octavo (1), minime istæ formæ creantur. Nam etsi fiunt ipsæ totæ, *fiunt tamen ex subjecto, non ex quo componantur, sed ex cuius potentia educantur*. Adde quod proprie solum dicuntur creari res subsistentes. Itaque etiam tum, cum totum compositum crearetur, forma non diceretur *creari*, sed *concreari*, ut ibidem ait D. Thomas» (2).

feri ex materia, cum non habeant materiam partem sui. Unde si fiant, oportet, quod fiant ex nihilo, quod est creari. Et quia creatio solius Dei actio est... sequi videtur, quod solus Deus tam formas substantiales, quam accidentales, in natura producat. Ex quibus etiam confirmatur, quam non sit vana suspicio affinitatis, quam intercedere diximus superius inter atomismum et occasionalismum.

(1) 1 p. quæst. 45.

(2) *Commentarior. Theologicorum...* tom. 1, disp. 3 q. 2. punct. 4, paulo post initium. Et vide Suarez. disp. *Metaph.* 15, sect. 2.

Atque hic est creationis conceptus, qui apud Philosophos et Theologos christianos per plura sæcula invaluit. Mirandum porro vehementer foret, tot tantaque Ecclesiæ lumina tamdiu veram creationis rationem ignorasse.

Instabis 3.^o Sed nonne tanta virtus requiritur ad educationem hoc modo explicatam, quanta ad veram creationem? Subjectum enim præsuppositum, ex cuius potentia educi forma dicitur, revera causam hujus efficientem non juvat. Ergo ad educationes formarum peripateticas virtus altior et potentior naturali quaerenda erit.

Resp. neg. instantiam. Ad probationem *dist. ant.* Non juvat augendo virtutem ipsius, *conc.*; sustentando ejus actionem et fundamentum præbendo, *neg.* «Nam licet subjectum non cœfficiat, nec vires agentis augeat in genere causæ activæ, vere tamen adjuvat in genere fundamenti, sine quo nihil efficeret causa creata; sicut nihil efficeret architectus sine fundamento, quo domum superstrueret, vel sine materia, in quam induceret formam domus. Hoc autem fundamento non indiget virtus creativa, quæ, utpote infinita, sine ullo fulero aut sustentaculo præsupposito operari valet» (1).

Instabis 4.^o Atqui exposita formæ productio ipsam penitus rationem educationis pessumdat. Nam educio est actio ex præsupposito subjecto. Atqui juxta nostram explicationem forma non fit ex materia, sed potius in materia. Ergo...

Resp. neg. subsumptam Minorem. Et probationis *dist. Major.* Educio est actio ex præsupposito subjecto, intellecta vulgari modo *neg.*; philosophico, *conc.*

Et *contradist.* Minorem. Audi Aquinatem: *Id quod fit non est forma, sed compositum, quod ex materia fit, et non ex nihilo. Et fit quidem ex materia, in quantum materia est in potentia ad ipsum compositum, per hoc quod est in potentia ad formam. Et sic non proprie dicitur, quod forma fiat in materia, sed magis quod de materia potentia educatur* (2). Nam quamvis «educi, scribit P. Ludovicus Lossada in sensu vulgari significet *extractionem* rei præexistentis et alicubi latentis; at in sensu philosophico non id significat, sed veram *productionem*

(1) Lossada, Op. cit., tr. 1, disp. 4, cap. 3, n. 35.

(2) S. Thom., de *Potent.*, quæst. 3, art. 8.

rei dependentes a causa materiali non constitutiva. Sic *producere* apud Philosophos proprie significat *dare esse*; cum tamen apud vulgus aliter significet, ut cum quis dicitur producere testes aut copias. Est ergo formam educi, poni extra potentiam passivam materiæ: non ita, ut a materia separetur, cum potius ei intrinsece inhæreat; sed, ita, ut actualiter accipiat *esse* per actionem a materia pendentem, vi cuius actionis potentia passiva materiæ reducitur in actum sive exercitium. Sic effectum produci idem est, ac poni extra causam efficientem, non quod intra illam præxiterit, sed quia producitur per actionem, vi cuius reducitur ad actum potentia activa causæ efficientis» (1). Sed hæc satis patere videntur ex declaratione, quam suo loco præmisimus actionis educitivæ.

Alias difficultates adversus argumenta, quibus probatur a nonnullis recentioribus peripateticum systema, fieri solitas, dissolvi a nobis in hoc loco necesse non est.

ARTICULUS VI.

De unione materiæ ac formæ.

160. Corpus non coalescit ex materia et forma nisi unitis: complementum itaque hujus tractationis postulat, ut postquam materiam et formam singillatim tum quoad existentiam, tum quoad essentiam ac proprietates, consideravimus, earum nunc unionem atque ad totum compositum corporeum constituendum coagmentationem contemplerur. Hujus sane unionis accurata cognitio res est haud exigui ponderis ac momenti, cum exinde pendeat intelligentia unionis animæ cum corpore humano, prout clarius in suo loco patebit.

§ I.—NOTIO ET DIVISIONES UNIONIS.

Unio generatim est vinculum et nexum seu ligamen duorum aut plurium; eoque natura sua tendit, ut ex multis

Quid unio generatim,

(1) Lossada, loc. nup. cit., n. 33.